Berthold Otto's

Tirocinium Ovidianum

Erstes Heft

Ovids Metamorphosen

Buch I, v. 1—162

Lateinische Vorbereitung und Text
(Auch als 18. Lateinbrief erschienen)

Preis 50 Pfg.

Berlin-Lichterfelde
Verlag des Hauslehrers
1913.

2009. 1438. -1
Bibliothek für
Bildungsgeschichtliche
Forschung
BERLIN

Vorbereitung zu Ovids Metamorphosen.

Dei saepe homines in arbores[1], in bestias, in saxa[2] mutaverunt[3]. Publius Ovidius Naso has mutationes omnes perscripsit carmine perpĕtuo[4]. P. Ovidius Naso, poēta Romanus, temporibus imperatoris Augusti vixit. Mutationes Graece nominantur metamorphōsēs; casus genitivus huius vocabuli est metamorphōsĕōn. Ovidius quindecim libros metamorphoseon composuit. Cur hoc fecerit, non dicit; dicit „animus[5] fert hoc dicere". Formae mutatae sunt in nova corpora. Ovidius dicit[6] igitur formas mutatas in nova corpora. „Animus fert dicere formas in nova corpora mutatas." Ovidius deos vocabat, qui adiuvarent, quia et illas formas muta(vi)ssent. Pro „mutavissent" dici potest „mutassent"; pro „mutavistis" dici potest „mutastis". Ea, quae coepi[7], nomino coepta mea. Scitisne, quid sit „spirare"?[8] Spirat ventus, spirat homo pulmone[9]. Ad-spirantes[10] pulmones se con-trahunt. Qui me adiuvat, dicitur mihi ad-spirare. Propterea Ovidius dicit: Di[11], adspirate coeptis meis; nam vos mutastis et illas formas in nova corpora.

Novistis rĕg-ion-em[12] orientis solis et occidentis solis. „Orientis" est genitivus singularis participii praesentis deponentis a verbo orior, ortus sum, orīri[13], cuius i in infinitivo et interdum[14] in coniunctivo imperfecti forte[15] est, in reliquis formis in-firmum[16]. „Occidentis" est participium praesentis activi a verbo oc-cĭdo, occĭdi, occāsum, occĭdere, quod est compositum e praepositione ob et verbo cădo. Ab ortu[17] usque ad occasum[17] sol lucet[18] et fovet[19]. Mane[20] admiramur ortum solis, vespere[21] admiramur occasum solis. Tempus, quo aliquid orĭtur, locum, quo aliquid orĭtur, causam, qua aliquid orĭtur, nominamus orīgĭn-em[22] huius rei. Ovidius carmen perpetuum deducit[23] a prima origine mundi ad tempora Ovidii. Novimus vul-

---

1 Bäume. 2 -um Fels. 3 verwandeln. 4 zuſammenhängend. 5 das Gemüt. 6 ſchildert. 7 ich habe angefangen. 8 hauchen, wehen. 9 Lunge. 10 anhauchend, alſo ausatmend, zuhauchend. 11 = dei, Götter. 12 Richtung. 13 entſtehen. 14 bisweilen. 15 ſtark. 16 ſchwach. 17 nomen actionis (Aufgang — Untergang). 18 leuchten. 19 wärmen. 20 morgens. 21 abends. 22 Urſprung. 23 hinabführen.

tum [1] mundi, ut nunc est. Multi vultūs sunt mundo; aqua, terra, aër [2] diversi vultus mundi sunt. Sed in-itio (initium [3] est nomen actionis a verbo ineo [4]) hi vultus diversi non erant, sed unus vultus in toto orbe [5] terrarum erat, quem dixērunt (Ovidius scribit: dixērĕ) Chaos. Hoc Chaos igitur erat ante mare et ante terras et ante caelum [6], quod omnia tegit.

Omnia, quae nunc in caelo et in terra et in mari sunt, unam molem [7] formabant. Hanc molem postea [8] Deus dī-gessit [9]; sed antequam [10] hoc faciebat, omnia sēmĭna [11] rerum eōdem [12] con-gesta [13] erant; qua [14] tellus [15] fuit, illīc [16] et [17] pontus [18] et aër erat; sic in tellure stare nemo poterat, tellus in-sta-bili-s [19] erat; in aqua nemo nare [20] poterat, aqua in-na-bili-s erat; aër egebat [21] lucis; nulli rei manebat sua forma. Ob-stabat [22] aliud aliis [23]; in uno corpore pugnabant mollia [24] cum duris; frigida [25] pugnabant calidis [26], madida [27] siccis [28]; habentia (ea quae habebant) pondus [29] pugnabant eis rebus, quae sine pondere erant. Pondere et librā [30] res librare [31] possumus; veteres putabant terram in aëre suis ponderibus librari. Aër nunc terrae circumfusus [32] est; veteres putabant tellurem in circumfuso aëre pendēre [33]. Rudis [34] est puer [35], qui adhuc nihil didicit; rudis est lana [36], priusquam texitur [37]. Sic mundus initio non erat mundus [38], sed rudis et in-digesta moles nec quidquam [39] nisi [40] pondus in-ers [41].

Sic semina [42] rerum dis-cord-ia [43] erant et res non bene iunctae [44] erant. Deus solis [45], cui multa nomina sunt, in quibus etiam nomen „Titan" est, nondum [46] mundo lumina [47] praebebat [48], vel, ut ait Ovidius, nullus Titan adhuc mundo lumina praebebat. Etiam luna [49] nondum lucebat; dea lunae, quae appellatur Phoebe, nondum cornua [50] lunae reparabat. Nam nunc luna, postquam lucem perdidit, cornua reparat crescendo [51]. Nondum dea maris, quae vocatur Amphitrite, bracchia [52] porrexerat [53], quibus nunc totum orbem terrarum complectitur [54]. Nam veteres, ut iam dixi, putabant, terram orbem esse, cui Oceanus circum-datus esset, ut [55] totum marginem terrarum complecteretur. — At vocem „madidus" [56] non invenietis apud Ovidium; Ovidius dicit „humens". Nam quia humus plerumque madida est, verbum „humeo" (sine perfecto et supino) ĭdem significat, quod madeo; humidus idem quod madidus; participium humens autem idem quod humidus et madidus. — Nunc viginti primos versus metamorphoseon transvertere [57] potestis.

---

1 Miene, Ausſehn. 2 Luft. 3 Eingang, Anfang. 4 eingehn. 5 Kreis. 6 Himmel. 7 Maſſe. 8 nachher. 9 di-gero auseinanderführen. 10 bevor. 11 Samen. 12 ebendahin, an einen Ort. 13 zuſammengeführt. 14 wo. 15 Erde. 16 da. 17 auch. 18 Meer. 19 unbeſtehbar. 20 ſchwimmen. 21 entbehren. 22 entgegenſtehn. 23 eins den anderen. 24 Weiches. 25 Kaltes. 26 Warmes. 27 Naſſes. 28 Trocknes. 29 Gewicht. 30 Wage. 31 wägen, im Gleichgewicht halten. 32 herumgegoſſen. 33 pendeo, pependi (pensum), pendere hangen. 34 roh. 35 noch. 36 Wolle. 37 u, t, weben. 38 ſchmuck. 39 und nicht irgendetwas. 40 wenn nicht. 41 non art-em, ars: kunſtlos, träge. 42 Samen. 43 auseinanderherzig, uneinig. 44 verbunden. 45 Sonne. 46 noch nicht. 47 Lichter. 48 darbieten. 49 Mond. 50 Hörner. 51 Gerundium: durch Wachſen. 52 bracchium = Unterarm. 53 porrigo ausſtrecken. 54 umfaſſen. 55 ſo daß. 56 naß. 57 überſetzen.

Hanc omnium rerum litem[1] deus et melior natura diremit.[2] Sicut faber[3] lignum[4] securi scindit[5], sic deus res non bene iunctas scidit; terras ab-scĭdit caelo, undas[6] abscidit terris; caelum ab aëre secrevit[7]. Hic aër, in quo vivimus, qui saepe nubes[8] gignit,[9] vocatur spissus[10]. Haec deus exēmit[11] caeco[12] acervo[13]. Aër spissus est; caelum liquidum[14] est. Sic deus liquidum caelum evolvit[15] et caeco acervo exemit, sic etiam aërem et terram et undas. Haec omnia antea sociata[16] et discordia erant, nunc dis-sociata[17] et con-cordia[18] sunt. Nam dissociata sunt locis, sociata autem et concordia sunt legibus, quas deus naturae scripsit. Nam deus haec omnia concordi pace[19] ligavit[20]. Quod auro constat[21], vocatur aur-eu-m; quod igne constat, vocatur igneum. Veteres putabant, caelum igneum esse. Nobis quoque caelum convexum[22] esse videtur[23]. Itaque poeta dicit: Ignea vis caeli convexi et sine pondere emicuit[24].

Caelum emicuit et locum sibi fecit in summa[25] arce[26]; nam Ovidius totum mundum arci compărat[27]. Caelum sine pondere, ergo omnium rerum levissima[28] est. Propter levitatem[29] caelum in summa arce positum est. Proximus[30] caelo ignis est levitate[31]; propterea etiam loco caelo proximus est. Terra autem densa[32] est; multo[33] densior aëre et caelo[34]. Terra elementa[35] grandia[36] traxit[37] et pressa est gravitate[38]. Aquam poeta humorem[39] vocat, quia aqua humida est. Humor terram circum-fluit[40]; propterea humor circumfluus vocatur. Circumfluus humor solidum[41] orbem terrarum coërcet[42] et ultima[43] totius mundi possĭdit[44]. Sed videndum nobis est, quid intersit inter sīdĕre et sĕdēre. Utrumque[45] verbum eodem perfecto (sēdi) et supino (sessum) utitur. Qui stat, sīdit[46], si vult sedēre[47]. Verba composita; quae derivantur[48] a sĕdeo, mutant ĕ in ĭ. Possĭdeo[49], quae mea sunt; possīdo, quae mea fiunt. Ergo circumfluus humor ultima possēdit (perfectum a verbo possīdo). — Congestam illam materiam poetia congeriem appellat; congeries est nomen substantivum quintae declinationis. Hanc congeriem secuit[50] deus et dis-posuit.

Romani fatebantur[51] se nescire, quis mundum disposuerit; nam multi dī (= dei) iis erant; sed quisquis[52] ille deorum fuit, omnia bene disposuit et in membra[53] redegit[54]. Hoc princip-iu-m[55] mundi erat; poteram dicere initium[56] mundi. Novisti glomera[57] lanae[58]; glomeramus lanam. Deus autem terram glomeravit in speciem[59]

---

1 Streit. 2 dirimo auseinanderbringen. 3 Handwerker. 4 Holz. 5 ſpalten. 6 Welle. 7 se-cerno auseinanderſehn, trennen. 8 Wolken. 9 erzeugen. 10 dicht. 11 eximo herausnehmen. 12 blind. 13 Haufen. 14 klar. 15 herauswälzen, entwickeln. 16 von socius, vergeſellſchaftet. 17 getrennt. 18 einträchtig. 19 Frieden. 20 verbinden. 21 beſtehn aus. 22 gewölbt. 23 ſcheint. 24 emicare hervorſchimmern. 25 höchſt. 26 Burg. 27 vergleichen. 28 leichteſte 29 Leichtigkeit. 30 nächſt. 31 an Leichtigkeit. 32 dicht. 33 um vieles. 34 als Luft und Himmel, ablativus comparationis. 35 Stoffe. 36 groß, maſſig. 37 trahо an ſich ziehn. 38 Schwere. 39 Feuchtigkeit. 40 umfließen. 41 ganz. 42 zuſammenhalten, e, u, it. 43 die letzten (Enden). 44 in Beſitz nehmen. 45 jedes von beiden. 46 ſich ſetzen. 47 ſitzen. 48 ableiten. 49. beſitzen. 50 secare ſchneiden. 51 fateor geſtehn. 52 wer auch immer. 53 Glieder. 54 zurechtbringen (redigo). 55 Anfang. 56 Eingang. 57 glomus Knäuel, glomerare zum Knäuel wickeln. 58 Wolle. 59 Ausſehn (Char. e. 5. Dekl.).

orbis magni. Ubi[1] congeriem sic dispositam secuit, sectamque in membra redegit, principio terram in speciem magni orbis glomeravit, ne[2] non ex omni parte aequ-alis[3] esset vel, ut ait poeta, „foret“, quod derivatum est ab infinitivo „fore“ (pro „futurum esse“). Tum frĕta[4] dif-fudit[5], vel potius[6] non ipse diffudit, sed diffundi iussit. Tum[7] iussit freta tumescere[8] rabĭdis[9] ventis. Haec freta terras ambiebant[10] et terris litora[11] circumdabant. Nam nisi mare et freta essent, terris litora non essent; propterea dici potest freta terris litora dare. Sed non omnem aquam deus fretis et mari tribuit[12]; addidit[13] et[14] fontes et stagna[15] immensa et lacūs[16] et flumina. Flumina de clivis[17] in mare fluunt, propterea declivia[18] nominantur.

Declivia flumina deus ripis[19] cinxit[20]. Hae ripae plerumque oblīquae[21] sunt. Flumina non omnia in mare fluunt; partim[22] eo[23] per-veniunt, partim antea sorbentur[24] ab ipsa Terra. Nos dicimus: flumina diversis locis sorbentur ab ipsa Terra. Poeta Latinus dicit: flumina diversa locis sorbentur ab ipsa Terra. Mare est campus[25] liber-ioris[26] aquae. Cum aqua fluminis hoc campo liberioris aquae recepta est[27], non amplius[28] ripas pulsat[29]; pro[30] ripis litora pulsat. Deus iussit et[31] campos ex-tendi[32], montes surgere[33]. Montes lapid-osi[34] vocantur, quia multi lapides insunt. Etiam valles[35] deus subsīdĕre[36] iussit; et silvas iussit fronde[37] tegi. — Quinque Zonae secant caelum, duae dextra parte[38], duae sinistra[39] parte; quinta ardet[40], ardentior est illis (abl. comp) quattuor. Eodem numero zonarum terram deus distinxit[41]. Terra, quae gravis est et caelo includitur[42], propterea a poeta vocatur onus[43] inclusum. Cura[44] dei hoc onus inclusum eodem numero zonarum distinxit, quo caelum distinxit; totĭdem[45] plagae[46] tellure premuntur, inquit poeta; etiamsi[47] plagae tellure premi non possunt, quia ipsae tellus sunt. „Tellure premuntur“ idem significat, quod „in terra sunt“.

Harum quinque zonarum, quae media[48] est, habitari[49] non potest; non habita-bili-s est aestu[50]; duas nix[51] alta[52] tegit; quod utrumque hominibus iucundum[53] non est. Nam frigus[54] aeque ac[55] aestus hominem terret[56]. Itaque deus duas zonas inter utrumque (inter frigus et aestum) locavit[57] et temperiem[58] eis dedit mixtā[59] cum frigore flammā (flamme, abl. abs.). His omnibus plagis imminet[60] aër. Quanto[61] pondus[62] aëris lĕvius[63] est pondere (abl.

---

1 ſobald als. 2 damit nicht, ne non damit. 3 gleichmäßig. 4 Meeresſtrom. 5 diffundo auseinandergießen. 6 oder vielmehr 7 dann. 8 anfangen zu ſchwellen (tumeo) 9 wütend 10 umgehen. 11 litus Geſtade. 12 zuteilen. 13 hinzufügen. 14 auch. 15 stagnum ſtehendes Gewäſſer. 16 Seen. 17 clivus Berglehne. 18 abſchüſſig. 19 ripa Ufer. 20 umgeben. 21 ſchräg. 22 zum Teil. 23 dahin. 24 ſchlürfen, auiſaugen. 25 Feld. 26 freier. 27 recipio aufnehmen. 28 weiter, mehr. 29 ſtoßen, ſchlagen. 30 anſtatt. 31 auch 32 ſich ausſtrecken. 33 ſich erheben. 34 ſteinevoll. 35 vallis Tal. 36 ſich hinunterſetzen, ſich ſenken. 37 Laub. 38 auf der rechten Seite. 39 linke. 40 glühen, brennen (e, s. s). 41 distiguo (s, t) unterſcheiden. 42 einſchließen (claudo). 43 Laſt. 44 Sorge, Sorgfalt. 45 ebenſoviele (undekliniert). 46 Landſchaft. 47 wenn auch. 48 mittlere 49 bewohnen (frequentativum von habere). 50 Hitze. 51 Schnee 52 tief. 53 angenehm. 54 Kälte. 55 gleichermaßen wie. 56 erſchrecken. 57 ſtellen. 58 Mäßigung (Char. e). 59 misceo miſchen. 60 hereinragen. 61 um wie viel. 62 Gewicht. 63 leichter.

comp.) terrae, tanto[1] pondus ignis levius est pondere aëris. Terra onus praebet, oner-osa[2] est; etiam aqua onerosa est, sed terra onerosior est. Aër onerosior est igni[3]. Illic[4], id est in aëre, deus iussit nebulas et nubes[5] consistere[6] et tonitrua[7], quae humanas[8] mentes[9] movent[10] vel motura sunt. Illic deus et fulmina[11] consistere iussit et ventos. Venti frigora faciunt. Sed deus, qui mundum fabricatus est, ventis aëra[12] non totum dedit; „non passim[13] aëra habebitis“, inquit, „non passim aëra habendum vobis per-mitto[14]; diverso tractu (nomen actionis a verbo traho) flabitis[15]; sua quisque[16] flamina (nomen actionis) reget.

Quisquis ille deorum fuit, qui mundum fecit, nominatur fabricator mundi, vel, quia sua ope[17] res fecit, poeta eum opific-em[18] rerum appellat. Venti mundum volunt laniare; vix[19] impediuntur[20], quin[21] mundum lanient; nam semper luctantur[22] inter se; tam[23] dis-cordes[24] sunt; quamquam[25] fratres sunt; tanta[26] est discordia fratrum. Eurus[27] re-cessit[28] ad Auroram[29] et ad Persida[30] et ad regna Nabataea. Nabataei habitabant[31] Arabiam. — Rusticus[32] equos ad currum[33] iungit[34]. Etiam boves ad currum iunguntur. Si boves ad currum iungimus, in cervice[35] bovis iūgum[36] ponimus. Novimus autem non solum iugum boum, sed etiam iugum montium. Iuga montium Asiae radiis[37] orientis solis subdīta[38] sunt. Hi radii, quia mane[39] mittuntur, nominantur radii matutini[40]. Eurus igitur[41] ad Persida et iuga radiis matutinis subdita recessit. Sol occidens vel occid-uus vesperum et litora Hispaniae fovet[42]: vesper et haec litora tepe-sc-unt[43] sole occiduo.

Vesper et litora, quae sole occiduo tepescunt, Zephyro[44] proxima[45] sunt. Boreas[46] Scythiam[47] in-vādit[48]. Boves, qui ad currum vel ad aratrum[49] iunguntur, vocantur triōnes[50]. Septem stellas[51], quas nos „currum“ appellamus, Romani „septem triones“ vocabant; sed quia hae stellae unum sidus sunt, etiam numero singulari utuntur: septemtrionem sidus vocant. Nomina quattuor regionum[52] sunt igitur: oriens, meridies[53], occidens, septemtrio. Horrēmus[54], si Boreas flat (Boreas primam declinationem sequitur, sed in casu nominativo terminatione[55] s utitur). Propterea Boreas ventus horri-fer vocatur. Septemtrioni contraria[56] tellus made-sc-it[57] nubibus. Novimus verbum „assidēre“[58]. Qui semper alicui assīdet, vocatur assid-uus[59]. Si e

---

1 umſoviel. 2 laſt-voll. 3 ſtatt igne, abl. comparationis, „als das Feuer“. 4 dort. 5 Wolken. 6 ſich aufſtellen. 7 Donner. 8 menſchlich. 9 Geiſt. 10 bewegen. 11 Blitze. 12 aër hat meiſt die griechiſche Endung a ſtatt em. 13 ausgebreiten (von pando). 14 erlauben. 15 flare wehen. 16 jeder. 17 Hilfe. Wirken. 18 Werkmacher. 19 kaum. 20 hindern. 21 daß nicht. 22 deponens, ringen. 23 ſo. 24 auseinanderherzig, uneinig. 25 obwohl. 26 ſo groß. 27 der Oſtwind. 28 recedo zurückweichen. 29 Morgenröte. 30 Persis Perſien. 31 bewohnen. 32 Landmann. 33 Wagen. 34 verbinden, hier alſo „anſpannen“. 35 Nacken. 36 Joch. 37 radius Strahl. 38 subdo untergeben. 39 morgens. 40 Morgen-. 41 alſo. 42 wärmen. 43 lau werden, tepeo lau ſein. 44 ein Weſtwind. 45 nächſt. 46 ein Nordwind. 47 Nordeuropa. 48 eingehen (s, s). 49 Pflug. 50 eig. Dreſchochſen, aber auch Zugochſen. 51 Sterne. 52 (Welt)gegend. 53 Mittag. 54 ſchaudern. 55 Endung. 56 entgegengeſetzt. 57 naß werden, madeo naß ſein. 58 dabei ſitzen. 59 beharrlich.

nubibus guttae[1] aquae in terram cadunt, dicimus „pluit“ (perfectum pluit vel pluvit, supinum vacat). Aqua, quae pluendo in terram venit, vocatur aqua pluvia. Iuppiter, qui pluere iubet, vocatur Iuppiter pluvius; ventus, qui pluviam[2] affert (ad-fert), vocatur ventus pluvius. Novistine Austrum? Auster ventus meridiem ob-tĭnet[3]. Auster ventus pluvius est. Septemtrioni contraria tellus madescit nubibus assiduis et ab Austro pluvio.

Super[4] haec fabricator mundi im-posuit[5] aethera (accusativus Graecus pro „aether-em“) liquidum[6]. Aether liquidus est et gravitate caret[7]. Si vinum malum bibimus, faec-em[8] in cyatho[9] videmus. Hanc faecem aspernamur[10]. Itaque si in eo, quod magni facimus[11], aliquid inest, quod aspernamur, faecem dicimus. Id, quod terrā constat[12], vocatur terrēnum[13]. Aether nihil faecis terrenae habet. Itaque Ovidius aethera appellat liquidum et gravitate carentem nec quid-quam[14] terrenae faecis habentem. Ea omnia deus limĭt-ibus[15] certis dis-sepit[16], quae antea unam massam[17], rudem indigestamque molem formaverant. Postquam[18] opifex rerum, quem Ovidius „originem mundi melioris“ appellat[19], omnia certis limitibus dissepsit, sidera, quae diu[20] pressa[21] sub illa massa latuerunt[22] (poeta dicit „latuēre“), coeperunt ef-ferve-scēre[23] toto caelo. Animantia ea vocamus, quibus anima[24] est. Neu[25] ulla[26] regio foret[27] orba[28] suis animantibus, astra[29] in coelo pisces in aqua, ferae[30] (bestiae) in terra ponuntur. Astrum veteribus vivere videbatur. Astra ipsa formae deorum sunt. Undae habitantur piscibus, aër volucribus.[31].

Ubi piscis est, ibi[32] aqua esse non potest. Itaque poeta dicit: Piscibus cesserunt[33] undae. Nitent[34] pisces, qui propterea nit-idi vocantur. Undae piscibus nitidis habitandae erant. Cesserunt nitidis piscibus habitandae undae. „Solidus“[35] est nomen adiectivum derivatum a nomine substantivo sōlum[36]. Solum caeli vocatur solum cael-este (suffixum[37] -esti). Pro caelo etiam coelum scriptum invenīmus[38]. Astra tenent caeleste solum; terra cepit feras, aër volucres. Aër facile agitari[39] potest; propterea agita-bilis[40] vocatur. Pisces et ferae animalia[41] sunt. Homo animăl sanctius[42] hīs (ablativus comparationis) est. Is, qui aliquid capere potest, vocatur capax[43]. Homo mentis altae capax est. Homo animal mentis altae capacius feris (abl. comp.) est. Itaque hoc animal dominatur[44] in cetera animalia. Sed hoc animal deerat[45] adhuc[46], cum fabricator mundi cetera animalia iam in aëre, in terra, sive[47] in aqua posuisset. Tum

---

1 Tropfen. 2 Regen. 3 innehalten, von teneo. 4 über. 5 impono hineinſetzen. 6 klar. 7 entbehren (e, u, it). 8 Bodenſatz. 9 Becher. 10 verſchmähen (Deponens). 11 hoch ſchätzen. 12 beſtehn aus. 13 irdiſch. 14 irgend etwas. 15 limes Grenzwall, Grenze. 16 auseinanderzäunen (s, t). 17 Maſſe. 18 nachdem. 19 nennen. 20 lange. 21 bedrückt (premo, pressi, pressum). 22 verborgen ſein (e). 23 auffinden, erglühen. 24 Seele, Leben. 25 und damit nicht. 26 irgend ein. 27 = futura esset. 28 leer an (mit Abl.) 29 Sterne. 30 wild. 31 Geflügelte, Vögel. 32 da. 33 weichen (cedo). 34 glänzen (e). 35 feſt. 36 Boden, Fußboden. 37 Anhängſel (zur Wortbildung). 38 finden. 39 bewegt werden. 40 suffixum -bili = -lich. 41 Lebeweſen. 42 sanctus heilig. 43 suffixum -ac = fähig. 44 herrſchen (Deponens). 45 deesse fehlen. 46 bis hierher, noch. 47 oder.

natus est homo. Hunc ille opifex rerum divino[1] semine[2] fecit, sive terra recens[3], quae nuper[4] ab alto aethere se-ducta[5] erat, retinebat[6] semina cognati[7] caeli. Filius Iăpĕti a poeta nominatur „sătus Iapeto“. „Satus“ est participium perfecti passivi a verbo sĕro, sēvi, sătum[8]. Pro „satus ab Iapeto“ poēta dicit „satus Iapeto“ (sine ab).

Prometheus, Iapeti filius, vel, ut ait poeta, satus Iapeto[9], homines finxisse[10] dicitur. Prometheus tellurem, quae retinebat semina cognati caeli, undis fluminis miscebat[11]. Pro flumine dici potest fluvius; propterea undae fluminis vocantur undae fluvi-ales. Quia homo terram et bestias moderari[12] dēbēbat, Prometheus hominem finxit in effigiem[13] deorum omnia moderantium vel, ut ait poeta, moderantum. „Cunctus“ idem fere dicit, quod „omnis“. Hominem finxit in effigiem Deorum cuncta moderantum. Cetera animalia terram spectant et propterea prona[14] vocantur; homini deus os[15] sublime[16] dedit et issuit caelum tuēri[17] et vultus ē-rĭgere[18] et erectos vultus ad sidera tollere[19]. Sic tellus, quae modo[20] rudis et sine imagine[21] fuerat, con-versa est[22] et induit figuras[23] hominum, quas antea non noverat et quae propterea a poeta ignotae vocantur. Veteres haec putabant et narrabant de origine mundi.

Postquam mundus creatus[24] est, quattuor aetates[25] erant: aetas aurea, argent-ea, quae ab argento[26] nomen traxit[27], aënea[28], quae non ab aëre sed ab aere[29] nomen traxit, ferrea. Prima creata vel, ut ait Ovidius, săta est aurea aetas. Hac aetate homines sine lege, sine poena[30], sine metu[31] vivebant et fidem et rectum colebant[32]. Cui nihil rapitur[33], is nihil vindicat[34]. Vindĭc-em[35] appellamus, qui aliquid sibi aut alteri vindicat, propterea etiam iudex[36] interdum vocatur vindex; imprimis[37] autem[38] is vocatur vindex, qui id facit, quod iudex fieri iubet. Aurea aetate homines vindĭce nullo[39] fidem rectumque colebant, sine vindice tuti[40] erant. Lex minatur[41] iis, qui peccant[42]. Verba min-āc-ia[43] legum a veteribus Romanis aeri in-sculpebantur[44]; hoc aes in parĭēte[45] vel alibi[46] figebatur[47]; turba[48] civium autem, qui aliquid peccaverant, supplex[49] timebant (pluralis, quia in turba multi homines insunt) ora[50] iudicis sui. Aetate aurea autem nec verba minacia aere fixo legebantur, nec supplex turba timebant ora iudicis sui. Beatus est, qui sponte[51] suā rectum facit.

Aurea aetate homines vel, ut ait poeta, mortales[52] nulla litora no(ve)rant praeter[53] sua; nam naves iis nondum[54] erant. Homines

---

1 göttlich. 2 Samen. 3 friſch, neu. 4 kürzlich. 5 herabgeführt. 6 zurückbehalten (von teneo). 7 von con und nascor „mitgeboren“, verwandt. 8 ſäen. 9 des Japetus Sprößling. 10 fingo bilden. 11 miſchen. 12 mäßigen, lenken (Deponens). 13 Bild (Char. e, 5. Dekl.). 14 vorwärts geneigt. 15 Antlitz. 16 hoch. 17 anſchauen. 18 aufrichten. 19 emporheben. 20 eben. 21 Bild, Geſtalt. 22 iſt umgewandelt worden (converto). 23 Geſtalten. 24 creare ſchaffen. 25 Zeitalter. 26 Silber. 27 traho ziehen. 28 ehern. 29 aes Erz. 30 Strafe. 31 Furcht. 32 pflegen. 33 rapio ich raube. 34 wieder fordern. 35 Rächer. 36 Richter. 37 beſonders. 38 aber. 39 abl. abs. „ohne daß jemand Rächer war“. 40 ſicher. 41 drohen (Deponens). 42 ſündigen. 43 drohen (suffixum - ac). 44 einritzen. 45 Wand. 46 anderswo. 47 anheften. 48 Schar. 49 flehend. 50 Antlitz (Plural von os). 51 Trieb. 52 ſterblich. 53 außer. 54 noch nicht.

montes scandebant [1], sed arbores nondum montibus de-scendebant [2] in liquidas undas [3]. Veteres [4] Graeci et Romani ad naves faciendas plerumque pinu (vel pino; nam pinus u aut forte aut infirmum habet) utebantur. Itaque pinus, postquam [5] caesa est, peregrinum [6] orbem terrarum visebat [7]. Aetate aurea nondum fossae [8] praecipites [9] cingebant [10] oppida [11]; non tuba [12], non litnus [13] vel cornu [14] sonabant. Tuba et cornu ex aere facta sunt; sed tuba di-recta [15], cornu flexum [16] est. Nondum ense [17] homines armati erant, nondum galeā [18] caput tegebant. Immo [19] militibus non utebantur homines; sine militis usu vivebant; hominum mentes securae [20] per-agebant [21] otia [22] mollia [23]. Tellus ipsa per se dabat omnia. Nobis nihil aut non multum tellus per se dat, nos eam aramus aratro, radimus [24] rastro [25], vulneramus [26] vomere [27]. Aetate aurea rastrum non tangebat [28] tellurem, tellus intacta [29] rastro nec [30] ullis vomeribus saucia [31] erat; tellus immūnis [32] erat.

Nemo tellurem cogebat [33] aliquid creare; nullo cogente [34] tellus cibos [35] creabat. Cibi nullo cogente creati sunt. Homines autem contenti erant cibis nullo cogente creatis. Homines nuces [36] legebant et fraga [37], quae mont-āna [38] vocantur, quia in montibus crescunt, et fructūs, qui in arbuto [39] crescunt et propterea fetūs [40] arbut-ei vocantur, et corna [41] et mora [42]. Ex his fragum et morum etiam nos novimus; arbutei fetūs, ut ait Ovidius, et corna etiam nunc in Italia et Graecia eduntur. Mora haerent [43] in duris rubētis [44]. Sed homines interdum etiam glandes [45] edunt, quae in quercū [46] crescunt, quae arbor Iovis vocatur. Non scandebant hanc arborem, ut glandes carperent vel de-cerperent [47]; sed eas edebant, quae decĭderant [48] Iovis arbore. Haec arbor, quae longe [49] patet [50], propterea patūla [51] vocatur. Aetate aurea vēr [52] aeternum [53] erat; flores [54] sine semine nascebantur. Ventus, qui nobis placet [55], plac-idu-s [56] vocatur. Ventus tepens [57] placidus est.

Aetate aurea Zephyri placidi auris [58] tepentibus mulcebant [59] flores sine semine natos. Tellus non arabatur, sed in-arata [60] fruges [61] ferebat; numquam ager re-novabatur [62]; tamen aristas [63] ferebat, quae grav-idae [64] erant granis [65]. Si hae aristae vento moventur, canunt. Ea flumina quae nunc novimus, flumina aquae sunt; aetate aurea flumina iam [66] lactis [67], iam nectăr-is ibant; flava [68] mella [69], quae

---

1 beſteigen. 2 herabſteigen von (abl.). 3 Wellen. 4 vetus alt. 5 nachdem. 6 fremd. 7 beſuchen. 8 Graben. 9 jäh. 10 umgeben. 11 Städte. 12 Trompete. 13 Zinke. 14 Horn. 15 grade. 16 gebogen (von flecto). 17 Schwert. 18 Helm. 19 ja ſogar. 20 ſorglos. 21 verbringen. 22 otium Mußezeit. 23 weich. 24 kratzen. 25 rastrum für rad-trum „Kratzmittel", Hacke, Karſt. 26 verwunden. 27 Pflugſchar. 28 berühren. 29 unberührt. 30 und nicht. 31 verwundet. 32 unverſehrt. 33 zwingen. 34 abl. abs. „ohne daß jemand zwang". 35 Speiſe. 36 Nüſſe. 37 Erdbeeren. 38 Berg-(erdbeeren). 39 Meerkirſchenbaum. 40 Erzeugniſſe. 41 Kornelkirſchen. 42 Brombeeren. 43 hängen. 44 rub-etum Brombeergebüſch. 45 Eicheln. 46 Eiche. 47 abpflücken. 48 herabfallen. 49 weit. 50 offen ſein. 51 offen, weit (d. h. ausgebreitet). 52 Frühling. 53 ewig. 54 Blume (flos). 55 gefallen. 56 ſanft. 57 lau. 58 aura Lufthauch. 59 ſtreicheln. 60 ungepflügt. 61 Früchte. 62 wieder neumachen (bearbeiten). 63 Ähren. 64 beſchwert. 65 granum Korn. 66 bald. 67 Milch. 68 gelb. 69 Honig (mel).

nunc apes[1] parant[2], stillabant[3] de ilĭce[4] viridi[5]. — Aetate aurea Saturnus mundum regebat; is a Iove filio victus et in Tartara missus est. In mundo lux[6] est; in Tartarīs tenĕbrae[7] sunt; propterea Tartara tenebr-osa[8] vocantur. Saturno in Tartaro misso (abl. abs.) mundus sub Iove erat; tum aetas aurea finita est, aetas argentea coepit. Homines, qui hac aetate vivebant, argentea proles[9] vocabantur. Argentea proles detĕrior[10] erat auro (abl. comp.). Sed argentum maiore pretio[11] eminus, quam aes fulvum[12]. Rem, quam magno pretio emimus, pretiosa[13] est. Argentum pretiosior est aere fulvo.

Saturno in Tartara misso (abl. abs.) subiit[14] argentea proles. Iuppiter tempora antiqui veris contraxit; annum exegit[15] quattuor spatiis[16]. Vĕr brĕve[17] factum est; autumni[18] in-aequālēs[19] sunt. Hiems[20] frigida[21] est; tempus aestūs[22] vocamus aestatem[23]. Aestate aër ustus est[24] fervore[25] sicco[26]; candescebat[27] aër aestate. Tum glacies[28] facta est; nam venti frigidi aquam adstringebant[29]. Aqua, quae antea[30] ventis movebatur[31], nunc ventis adstricta pependit[32]. Tum primum[33] homines domos subiēre[34]. Antea antra[35] domus fuerunt et densi[36] frutīces[37] et virgae[38] cortĭce[39] vinctae[40]. Deam frugum Romani Cerĕrem vocabant. Ceres dea frugum erat. Fruges[41] dona[42] Cerealia[43] appellabantur. Aetate argentea primum semina Cerealia longis sulcis[44] ob-ruta[45] sunt; tum primum boves gemuerunt[46] pressi[47] iugo[48]. Bos, qui duos annos natus[49] est, vocatur iuvencus[50]. Mox[51] etiam[52] argentĕa aetas finīta est; post aurĕam et argentĕam suc-cēdit[54] tertia[54] proles[55] aënea[56] (id est: ex aere facta).

Aënĕa proles prompta[57] erat ad arma horrĭda[58], promptior illa quidem[59] quam argentĕa proles. Nec[60] tamen[61] scelera[62] committebat[63]; aënea proles sceler-āta[64] non erat. Illam secuta est[65] ultima proles, quae de duro[66] ferro[67] erat. Hoc aevum[68] igitur[69] ferrĕum vocatur. Ovidius poeta hoc aevum appellat aevum venae[70] peioris[71]. Nam venae non solum viae[72] sanguinis[73] per corpus hominis nominantur, sed etiam venae aeris, argenti, auri, quae in terra inveniuntur[74] et effodiuntur[75]. In aevum venae peioris proti-

---

1 Bienen (apis). 2 bereiten. 3 tropfen. 4 Steineiche. 5 grün. 6 Licht. 7 Finſternis. 8 finſter. 9 Nachkommenſchaft (Char. i). 10 weniger gut. 11 Preis (pretium). 19 braungelb. 13 koſtbar. 14 folgen (Stamm i). 15 ausführen, vollenden (exigo). 16 Raum. 17 kurz (brevis). 18 Herbſt. 19 ungleich. 20 Winter. 21 kalt. 22 Hitze. 23 Sommer. 24 uro brennen. 25 Hitze. 26 trocken. 27 glühend werden (candeo glühend ſein, weiß ſein). 28 Eis (Char. e). 29 ſtarr machen. 30 vordem. 31 bewegen. 32 hängen. 33 damals zuerſt. 34 für subierunt „ſie gingen darunter", Stamm i. 35 Höhlen. 36 dicht. 37 Strauch. 38 Ruten, Zweige. 39 Rinde. 40 gefeſſelt (vincire). 41 Früchte. 42 donum Gabe. 43 von der Ceres. 44 Furche (sulcus). 45 verſchüttet. 46 ſtöhnen. 47 bedruckt (premo). 48 iugum hoch. 49 alt (eig. geboren). 50 Jungſtier. 51 bald. 52 auch. 53 folgt nach. 54 als dritte. 55 Nachkommenſchaft. 56 ehern. 57 bereit. 58 ſchaurig. 59 jene zwar. 60 und nicht. 61 jedoch. 62 Verbrechen (scelus). 63 begehn. 64 verbrecheriſch. 65 sequor, secutus sum geleiten, jemand folgen. 66 hart. 67 Eiſen. 68 Zeitalter. 69 alſo. 70 Ader. 71 ſchlechter. 72 Weg. 73 sanguis Blut. 74 finden. 75 ausgraben.

nus[1] ir-rumpit[2] omne[3] nefas[4]. Fas[5] id vocatur, quod per deos licet[6]; nefas id vocatur, quod a dīs (= deis) vetĭtum est[7]. Nefas homo iustus[8] fugit[9]; nam pudet[10] hominem iustum, iniuste[11] facere. Inest pudor[12] (nomen actionis) in homine iusto. Pudor fidesque[13] fugerunt (vel fugĕre), cum aetas ferrea coepisset, in quorum locum subierunt[14] (vel subĭere) doli[15] et frandes[16] et insidiae[17] et vis[18] et amor[19] habendi[20]. Hic amor habendi saepissime[21] nos impellit[22], ut scelera committamus[23]; propterea a poeta vocatur sceleratus amor habendi. Homo iustus semper vērum[24] dicit. Etiam hoc vērum fugit aevo ferreo.

Aevo ferreo arbores carīnae[25] factae sunt, quaeque[26] diu[27] in montibus altis[28] stĕtĕrant[29], insultavērunt[30] fluctui[31]; navita[32] vela[33] dabat ventis, nec[34] adhuc[35] bene noverant[36] illos. Aura[37] et lumen[38] solis adhuc communia[39] sunt; antea[40] etiam humus[41] communis erat eo[42] lumen solis et aura. Aevo ferreo autem homo humum metiebatur[43]; ac non incaute[44] hoc fecit, sed caute; propterea[45] cautus mensor[46] (nomen actionis a verbo metior) vocatur. Mensor humum metiebatur et longo limite[47] signabat[48]. Nunc humus segĕt-es[49] dabat et omnia, quae homines alunt[50] et propterea alimenta[51] vocantur. Nos putamus, humum segetes et alimenta nobis debēre[52]. Quotannis[53] poscimus[54] agrum[55] alimenta debita. Itaque[56] in genere passivo dici potest: Quotannis ager (vel humus) poscitur[57] alimenta debita. Nec[58] id tantum[59] poscitur; homines in viscera[60] terrae eunt; ītur[61] in viscera terrae. Ibi[62] humus re-condiderat[63] opes[64], ferrum, argentum, aurum. Nam hae opes hominibus nocent[65]; irrītant[66] mala[67], quapropter[68] irrita-menta[69] malorum vocantur.

Quia[70] opes hominibus nocent, propterea humus eas recondiderat et umbris[71] Stygiis ad-moverat[72]. Styx flumen in Tartaris est; umbrae mortuorum[73] ad Stygem habitant[74] et propterea umbrae Stygiae nominantur. Ferrum nocens est; aurum nocentius[75] est ferro (abl. comp.). Haec prodeunt[76] e terra; sed ex hix duobus prodit bellum[77], quod utroque[78] pugnat[79]; ferro et auro hostes vinci possunt. Bellum concŭtit[80] arma et fundit[81] sanguinem. Etiam

---

1 ſogleich. 2 einbrechen. 3 all. 4 Verbotenes. 5 Recht. 6 erlaubt iſt. 7 vetare verbieten. 8 gerecht. 9 fugio, fugi, fugitum fugere fliehe. 10 es beſchämt. 11 ungerecht. 12 Scham. 13 und (que) Treue. 14 Stamm i, eig. traten darunter. 15 Liſt. 16 Betrügerei (fraus). 17 Hinterhaltigkeiten. 18 Gewalt. 19 Liebe. 20 des Habens (Gerundium). 21 am häufigſten. 22 antreiben. 23 Verbrechen begehn. 24 das Wahre. 25 Schiffskiel. 26 und die. 27 lange. 28 hoch. 29 stare ſtehn. 30 hineinſpringen. 31 Flut. 32 Schiffer. 33 Segel. 34 und nicht. 35 bis hierher. 36 kennen. 37 Lufthauch. 38 Licht. 39 gemeinſam. 40 vordem. 41 Erdboden. 42 wie. 43 meſſen. 44 unvorſichtig. 45 deswegen. 46 (Feld)meſſer. 47 limes Grenzwall. 48 bezeichnen. 49 Saaten. 50 ernähren. 51 Nahrungsmittel. 52 ſchuldig ſein. 53 jährlich. 54 fordern. 55 acc. bei posco; wir ſagen „vom Acker". 56 alſo. 57 deutſch: „Vom Acker werden gefordert". 58 und nicht. 59 nur. 60 Eingeweide. 61 es wird gegangen, man geht. 62 dort. 63 verbergen. 64 Hilfsmittel, Schätze. 65 ſchaden. 66 erregen. 67 Übel. 68 weswegen. 69 Erregungsmittel, Urſachen. 70 weil. 71 Schatten (umbra). 72 zubewegen, nähern. 73 Geſtorbene. 74 wohnen. 75 ſchädlicher. 76 Stamm i hervorgehn. 77 Krieg. 78 durch jedes von beiden. 79 kämpfen. 80 zuſammenſchütteln (concutio mit ſchwachem i). 81 vergießen.

manūs sanguine[1] tinguntur[2]. Tum arma concutiuntur manū sanguinĕā. Arma sanguineā manū concussa crepitant[3]. Homines vivunt ex rapto[4]; vivitur[5] ex rapto. Non hospes[6] tutus[7] est ab hospite[8], non socer[8] a genero[9]; fratrum quŏque[10] gratia[11] rara[12] est, id est: frater fratrem non amat. Marītus[13] immĭnet[14] exitio[15] coniugis[16]; illa autem imminet exitio marīti. Si mater mortua est et pater aliam feminam in matrimonium[17] ducit[18], haec nova uxor[19] filiorum et filiarum noverca[20] est. Multae fabulae narrant, novercas terr-i-biles[21] esse. Novercae aconita[22] lurĭda[23] miscent. Filius ante diem[24] inquirit[25] in annos patr-ios (id est: patris); optat[26], ut pater mox[27] moriatur. Haec fiunt aevo ferreo.

Aetate aurea homo pius[28] erat; aevo ferreo in hominibus non inerat pi-etas[29] (suffixum ītāt post i mutatur in ĕtāt); pietas victa iacebat[30]; omnes dī caelestes[31] terras reliquerant; ultima[32] caelestium (Ovidius dicit: caelestum) Iust-itia[33] terras reliquerat, quam vĕtĕres[34] virginem Astraeam[35] nominabant. Neve[36] aether arduus[37] securior[38] foret terris (abl. comp.), Gigantes caelum expugnare[39] studuerunt[40]. Gigantes montes congesserunt[41]: montes congestos ad[42] alta sidera struxerunt[43]. Sed Ovidius non ipse dicit, hoc re verā[44] factum esse; dicit: Fĕrunt[45] (= dicunt), Gigantăs (terminatio accusativi „ăs“ e lingua Graeca) regnum caeleste affecta(vi)sse[46]. Tum pater omnipotens[47] (qui omnia potest) fulmen[48] misit[49]; misso fulmine Olympum montem per-fregit[50] et Ossam montem, cui Gigantes Pelium montem subiecerant[51], subiecto Pelio excussit[52]. Nam Gigantes Ossam super[53] Pelio posuerant[54], ut[55] hac mole[56] caelum et Olympum montem aequarent[57]. Tum autem mole sua obrŭti[58] sunt.

Cum corpora dira[59] Gigantum iacērent[60] obruta sua mole, terra perfusa est[61] multo sanguine natorum[62]. Nam Gigantes filii (vel nati) Terrae erant. Fĕrunt. Terram multo natorum sanguine perfusam incaluisse[63] et cruorem[64] calidum anima(vi)sse[65] et in faciem[66] hominum vertisse[67]. Hoc fecit Terra, ne[68] nulla monumenta stirpis[69] ferae[70] manerent[71]. Nam si non fecisset, nulla

---

1 Blut. 2 netzen. 3 lärmen. 4 Geraubtes (von rapio, ſchwach i). 5 es wird gelebt, man lebt. 6 Gaſtfreund. 7 ſicher. 8 Schwiegervater. 9 Schwiegerſohn. 10 auch. 11 Zuneigung (eig. der Zuſtand, daß man jemand angenehm iſt). 12 ſelten. 13 Gatte. 14 wartet auf (eig. ragt hinein). 15 Ausgang, Tod. 16 Gatte oder Gattin. 17 Ehe (eig. Mutterſchaft). 18 führen. 19 Gattin. 20 Stiefmutter. 21 ſchrecklich. 22 Gift. 23 blaß machend, tötlich. 24 Zeit. 25 inquiriert, d. h. forſcht nach den Lebensjahren des Vaters. 26 wünſchen. 27 bald. 28 fromm. 29 Frömmigkeit. 30 daniederliegen. 31 himmliſch. 32 als letzte. 33 Gerechtigkeit. 34 die Alten. 35 Sternjungfrau. 36 und damit nicht. 37 ſteil, hoch. 38 ſorgloſer. 39 erobern (eig. auskämpfen, erkämpfen). 40 studeo ſich bemühn. 41 congero zuſammenbringen. 42 bis zu. 43 struo ſchichten. 44 in Wirklichkeit (eig. durch die wahre Sache). 45 ſie hinterbringen. 46 an ſich reißen wollen. 47 allmächtig. 48 Blitz. 49 mitto ſchicken. 50 perfringo durchbrechen (von frango). 51 unterlegen (eig. daruntenverſenken). 52 excutio (ſchwach i) herabſchütteln (von quatio). 53 über. 54 pono ſtellen. 55 damit. 56 Maſſe. 57 erreichen (jemand gleichkommen). 58 überſchütten. 59 ſchrecklich. 60 daniederliegen 61 perfundo durchgießen. 62 Söhne (eig. Geborene). 63 incalesco warm werden. 64 Blut. 65 beſeelen. 66 Anſehn (Char. e). 67 wenden, wandeln. 68 damit nicht. 69 Stamm (stirps). 70 wild. 71 bleiben.

monumenta stirpis ferae mansissent. Sed et[1] illam propaginem[2] di non laudabant. Nam et illa propago superos[3] contempsit[4]. Virum, qui contemnit, nominamus contemptorem[5], feminam, quae contemnit, nominamus contemptrīc-em. Et illa propago contemptrix superum (pro superorum) erat. Caedes[6] ei grata[7] erat; haec propago Terrae avidissima[8] caedis saevae[9] erat et libenter[10] vim faciebat. Qui libenter vim facit, vocatur vi-olentus[11]. Etiamsi hanc narrationem[12] non audivisses, scires[13], hos homines e sanguine natos esse, si vidēres, quid facerent.

Ovidii metamorphoseon

liber primus.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Di coeptis (nam vos mutastis et illas)
Adspirate meis: primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
Ante mare et terras et, quod tegit omnia, coelum
Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixēre Chaos; rudis indigestaque moles;
Nec quidquam, nisi pondus iners; congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan;
Nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe;
Nec circumfuso pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata suis: nec bracchia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque fuit tellus, illic et pontus et aër;
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: nulli sua forma manebat.
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno

---

1 auch. 2 Nachkommenſchaft. 3 die Oberen (Götter). 4 contemno verachten. 5 Verächter. 6 Totſchlag (Char. i). 7 angenehm. 8 ſehr begierig. 9 wild. 10 gern. 11 gewalttätig. 12 Erzählung. 13 wiſſen.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Hanc Deus et melior litem natura diremit:
Nam coelo terras et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre coelum.
Quae postquam evolvit caecoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis et sine pondere coeli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.
Proximus est aër illi levitate locoque;
Densior his tellus: elementaque grandia traxit;
Et pressa est gravitate sua. Circumfluus humor
Ultima possedit solidumque coërcuit orbem.

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit:
Principio terram, ne non aequalis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffundi, rabidisque tumescere ventis
Iussit, et ambitae circumdare litora terrae.
Addidit et fontes immensaque stagna lacusque:
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis:
Quae diversa locis partim sorbentur ab ipsa,
In mare perveniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquae pro ripis litora pulsant.
Iussit et extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.
Utque duae dextra coelum totidemque sinistra
Parte secant zonae, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei: totidemque plagae tellure premuntur.

Quarum quae media *est*, non est habitabilis aestu,
Nix tegit alta duas: totid*em* inter utrumque locavit;
Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma.
Imminet his aër. Qui, quanto *est* pondere terrae
Pondus aquae levius, tanto *est* onerosior igni.
Illic et nebulas, illic consistere nubes
Iussit, et humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aëra permisit. Vix nunc obsistitur illis
Cum sua quisque regant diverso flamina tractu,
Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.
Eurus ad Auroram Nabataeaque regna recessit
Persidaqu*e* et radiis iuga subdita matutinis.
Vesper et occiduo quae litora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam septemque trionem
Horrifer invasit Boreas: contraria tellus
Nubibus adsiduis pluvioque madescit ab Austro.
Haec super imposuit liquid*um* et gravitate carentem
Aethera, nec quidquam terrenae faecis habentem.
Vix ea limitibus dissepserat omnia certis;
Cum, quae pressa diu massa latuere sub illa,
Sidera coeperunt tot*o* effervescere coelo.
Neu regio foret ulla suis animantibus orba,
Astra tenent caeleste locum formaeque Deorum:
Cesserunt nitidis habitandae piscibus undae,
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal mentisque capacius altae
Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset.
Natus homo *est*. Sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,

Sive recens tellus seductaque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina caeli.
Quam satus Iăpĕto, mixtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumque tueri
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.
Sic modo quae fuerat rudis et sine imagine, tellus
Induit ignotas hominum conversa figuras.
Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant. Nec verba minacia fixo
Aere legebantur: nec supplex turba timebant
Iudicis ora sui: sed erant sine vindice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, praeter sua, litora norant.
Nondum praecipites cingebant oppida fossae:
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis erant. Sine militis usu
Mollia securae peragebant otia mentes.
Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos foetus montanaque fraga legebant
Cornaque et in duris haerentia mora rubetis:
Et quae deciderant patula Iovis arbore glandes.
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant:
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.
Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso
Sub Iove mundus erat, subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior aere.
Iuppiter antiqui contraxit tempora veris:
Perque hiemes aestusque et inaequālēs autumnos
Et breve ver spatiis exegit quattuor annum.
Tum primum siccis āër fervoribus ustus
Canduit: et ventis glacies adstricta pependit.
Tum primum subiere domos. Domus antra fuerunt,
Et densi frutices, et vinctae cortice virgae.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenci.
Tertia post illas successit aënea proles.
Saevior ingeniis, et ad horrida promptior arma:
Nec scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
Protinus irrumpit venae pēioris in aevum
Omne nefas: fugēre pudor verumque fidesque;
In quorum subiere locum fraudesque dolique
Insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.
Vela dabant ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita: quaeque diu steterant in montibus altis
Fluctibus ignotis insultavēre carinae,
Communemque prius, ceu lumina solis et auras,
Cautus humum longo signavit limite mensor.
Nec tantum segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus; sed itum est in viscera terrae:
Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irrītāmenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum

Prodierant: prodit bellum, quod pugnat utroque:
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto. Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti,
Lurida terribiles miscent aconita novercae,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet Pietas: et Virgo caede madentes
Ultima coelestum terras Astraea reliquit.
Neve foret terris securior arduus aether,
Adfectasse ferunt regnum coeleste Gigantas,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine et excussit subiecto Pelio Ossam.
Obruta mole suā cum corpora dira iacērent,
Perfusam multo natorum sanguine Terram
Incaluisse ferunt calidumque animasse cruorem,
Et, ne nulla ferae stirpis monumenta manerent,
In faciem vertisse hominum. Sed et illa propago
Contemptrix superum saevaeque avidissima caedis
Et violenta fuit: scires e sanguine natos.

Anmerkung.

In den Vorbereitungen ist die Kenntnis der Formenlehre, des acc. c. inf. und des abl. abs. und ein geringer Vokabelschatz als bekannt vorausgesetzt. Für die wenigen Fälle, wo die reichlich unter den Text gesetzten Vokabeln nicht genügen, wird das Taschenwörterbuch von Prof. Dr. H. Menge, Lateinisch-Deutsch, Langenscheidtsche Verlagsbuchhandlung, Berlin-Schöneberg (Preis gebd. 2 M.), empfohlen, das übrigens zur Lektüre aller Schulschriftsteller ausreicht. Beim Aufschlagen ist zu beachten, daß jedes Substantiv im Nominativ Singular, jedes Verb im Einsprecher der Jetztzeit (der ersten Person Singular des Präsens Indikativ) aufgeführt ist, also lapid-es unter lapis, laniare unter lanio (zerfleischen).

Man übersetze die Vorbereitung mehrfach durch, bis man nicht mehr nach den Vokabeln unter dem Text zu sehn braucht. Am besten ist es, wenn man den Sinn ganz lateinisch erfaßt, ohne Vermittelung der deutschen Sprache. Erst wenn man die Vorbereitung gründlich durchgearbeitet hat, wage man sich an den Text, den man nach der punktierten Versbetonung laut lesen muß. Die Übersetzung des Ovidtextes gelingt fast überall leicht; wo das nicht der Fall sein sollte, da muß man noch einmal auf die Vorbereitung zurückgehn.

Auf eine Besonderheit des Druckes ist aufmerksam zu machen. Durch Bindestriche ist die Ableitung kenntlich gemacht. Lapid- ist der Stamm von „Stein", -osu das Zeichen für „voll von"; also lapid-osus heißt steinvoll. Wenn nun dieses Wort am Ende einer Zeile abgebrochen werden muß, dann wird es natürlich bei dem sowieso erforderlichen Teilstrich abgebrochen. Beim gewöhnlichen Lateinschreiben nimmt man aber natürlich auf die Ableitung keine Rücksicht; da gelten andere Gesetze der Silbentrennung, nach denen lapi-dosus abgetrennt werden muß. — Lateinschreiben zu lehren liegt nicht im Plane des vorliegenden Werkes; aber auf diese Abweichung von der üblichen Schreib- und Druckweise mußte doch aufmerksam gemacht werden.

Druck von
Otto Nuschke in Leipzig
Nostitzstrasse 31